

Item ut habeatur semper benigna ratio pauperis nobilitatis, ut contribuerent non de capitibus, prout ante solvebant, sed de agris, quos et quantum aliquis eorum possidet.

Item intercedent domini consilarii regni, ut isti sex grossi, quos Regia Maiestas habere vult, et extinguantur et remittantur.

Quos quidem articulos, cum vidimus Maiestati Regiae domino nostro clementissimo et reipublicae regni sui nihil afferre posse incommodi, utpote quod multa eiusmodi et in iure communi regni continentur, et aliis terris Masoviae, quae iam pridem ad regnum redierunt, concessa fuerant, ut eo facilius controversiae huius finis fieret et defensionis regni consultatio non traheretur diutius, eosdem articulos ipsorum et petitiones, uti iustos et rationi congruos, de unanimi consensu et voluntate mutua omnium nostrum ac nuntiorum regni, in eo conventu nobiscum agentium, ab illis suscepimus et in tenore recto constituimus. Et iam eosdem consiliarios totamque nobilitatem istius ducatus Masoviae, auctoritate Maiestatis Regiae, domini nostri clementissimi, nobis per oratores eius in hoc negotio Masoviensi commissa et tradita, atque praesentis conventus generalis vigore, ad unitatem regni iuriumque et libertatum eius participationem, secundum postulationes et articulos ipsorum praeinsertos, quos pro maiori fide et certitudine manibus propriis et sigillis nostris consignavimus, accepimus^r et assumpsimus, actipimusque et assumimus per praesentes.

Promittimus insuper hiis litteris nostris et verbo nostro senatorio ac fide bona, quod Maiestas Regia, dominus noster clementissimus, privilegio suo regali omnia olera antiqua, tributa, labores et servitia quaevis ducalia ex isto ducatu et subditis eius omnibus deponere et penitus extinguere ac iura, libertates, donationes, privilegia ipsorum et omnes articulos, per nos susceptos confirmare et ratificare, ita quod generalitas specialitati et specialitas generalitati non deroget, et etiam non oberit neque derogabit perpetuo, ac istum ducatum Masoviae et eius subditos in eo statu et ordine, veluti cum eis in praesentiarum conclusimus, conservare dignabitur.

Quod quidem privilegium nos a Maiestate Regia sub signeto Maiestatis suae expedire et eisdem consiliariis ad manus dare tenebimur et praesentibus nos obligamus, sub eadem bona fide nostra et verbo nostro senatorio absque omni difficultate et solutione, hinc ad festum Pentecostes proximum [16 V 1529] et in alio conventu regni proximiori, postquam Maiestas sua Regia ad regnum suum feliciter redibit, aliud privilegium simile sub sigillo Regiae Maiestatis suae, cum consensu et sigillis dominorum consiliariorum et nuntiorum regni tunc in conventu praedicto existentium similiter ab ipsa Maiestate Regia, domino nostro clementissimo, ordinare et ipsis tradere, eadem bona fide nostra et verbo senatorio nostro spondemus et promittimus absque aliqua solutione et impensa eorum. Ipsi vero consilarii ducatus Masoviae privilegium Maiestatis suae sub signeto nobis restituere tenebuntur. In cuius rei testimonium haec ita ut praemissum est, manibus nostris subscripsimus, et sigillis nostris consignavimus praesentibus et ad praemissa omnia consentientibus omnibus terrarum nuntiis^s, quorum etiam sigilla pro maiori parte, ut comprehendi potuerunt, sunt hic appensa. Acta sunt haec in conventu generali Warschouiensi feria quinta proxima ante dominicam Invocavit, anno Domini M^oD^oXXIX^o [11 II 1529].

II. LITTERAE UNIVERSALES CONTRIBUTIONUM PUBLICARUM IN CONVENTU VARSCHOUIENSI GENERALI DECRETARUM MDXXIX^a

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, utriusque Prussiae ac Masoviae etc. dominus et heres^b. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscunque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum, honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam praesentes litterae nostrae

^r *Wydawca Iura Masoviae Terrestria odczytał: accipimusque. ^s W rękopisie: nuncceys.*

^a *Tekst oparty jest na MK₂, t. 43, k. 262-268, z uwzględnieniem odmianek z MK₁, t. 44, k. 61 v.-65 v. Z rękopisu odczytali W. Uruszczak i I. Dwornicka. ^b Tytuł zaczerpnięty z MK₁. W MK₂ jest jedynie: Sigismundus etc.*

pervenerint et praesertim in palatinatu Cracoviensi et districtibus eius consistentibus, sincere et fidelibus nobis dilectis, salutem et^c gratiam regiam. Reverendissimi ac reverendi in Christo patres, necnon magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles nobis dilecti. Cum anno praesenti conventum generalem in civitate nostra Varschouiensi instituissimus, cum ob alias causas et rationes, tum vero ut ducatus Masouiae illic commodius ad corpus et unitatem regni reduceretur, ac cum ipsi nos eidem conventui adesse nequiverimus, arduis reipublicae negotiis in Magno Ducatu Lituaniae districti, commissemus universis consiliariis nostris, in eodem conventu Varschouiensi^d congregatis, ut consulerent ac omnem curam adhiberent: primum de uniendo cum^e regno ipso ducatu Masouiae, deinde de statuenda tali defensione, quae opportuna videretur et quae par esset et conveniret cum praesidiis in Magno Ducatu Lituaniae decretis adversus Thartaros, quandoquidem nos subditos ipsius ducatus Lituaniae eo perduximus, ut certum militum numerum sint servaturi pro praesidio adversus Thartaros, quemadmodum et regnicolae nostri servarent. Igitur consiliarii nostri universi unitis primum omnibus terris ducatus Masouiae, quod nobis est acceptissimum, et una cum illorum consiliariis et nuntiis quaerentes^f eos defensionis modos, quos regnicolae cum incolis ducatus Masouiae aequaliter ferrent, ut ipsi incolae terrarum Masouiae, apud quos non essent quietantiae antiquae, quae alioqui regno fuerunt semper noxae, quasi quae in fraudem reipublicae et multorum iniuriam hactenus observatae, non haberent iustam causam querendi, se plus aequo gravatos, et eximendi se ab ipsis contributionibus publicis, tandem unanimi omnium consensu et decreto sunt infrascriptae contributiones institutae, quas nos ratas et firmas habentes, omnibus in universum denuntiamus et declaramus.

In primis decretum est, ut coloni seu kmethones, tam villarum nostrarum regiarum, quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum in omnibus terris regni nostri Poloniae, pariter in his Masouiae terris, quae nuper ad unionem regni venerunt, de singulo manso seu laneo possessionato, de quo dominus eius census et labores percipit, ita iuste et integre, prout ipsemet dominus census vel exactionem suam bellicam ab hominibus suis de ipsorum agris exigit et recipit, solvant octo grossos, de medio laneo quattuor grossos, de quarta parte lanei duos grossos, de una virga hoc est *pranth*, quarum duodecem unum laneum integrum constituunt, quattuor ternarios, ad duas ratas temporis infrascriptas, videlicet: quinque grossos de integro laneo possessionato pro festo sancti Georgii proximo [23 IV 1529], ita quod omnes solvant et contribuant, incipiendo a festo sancti Georgii usque ad diem festum sancti Stanislai in Maio [8 V 1529], de medio laneo pro ea ipsa prima rata duos grossos cum medio, de quarta parte lanei unum grossum, quattuor denarios cum medio, et reliquum pro quantitate laneorum^g. Reliquos vero tres grossos solvant de uno integro laneo possessionato ad festum Nativitatis Mariae proximum [8 IX 1529], de medio laneo pro eodem festo Nativitatis Mariae unum cum medio grossos, de una quarta parte lanei quattuor ternarios, unum denarium cum medio, et qui ad eas ratas temporis non solverint, poenam dupli incurrunt, quae exigi debet ab omnibus negligentibus, aut solvere non curantibus, mox post quamlibet ratam supra expressam.

Quae quidem contributio, licet exigua et insufficiens ad opportunam defensionem videatur, tamen hac integritate solutionis ex omnibus laneis possessis considerata, si fideliter ac diligenter exigetur, spes est indubia illam non mediocre emolumentum esse allaturam.

Ut igitur diligenter et citra ullam fraudem contributio ipsa^h exigatur, statuimus et decernimus ex decreto ipsius conventus generalis, ut ex qualibet villa duo viri, qui magis honesti et probatae vitae esse censebuntur, contributionem ex omnibus laneis possessionatis villae suae collectam ad exactorem publicum perferant et coram eo corporale iuramentum praestent ad signum seu imaginem crucifixi, quod iuste ex omnibus suae villae laneis possessionatis, ita ut domino suo census et bellicam contributionem, quae *woyenne* dicitur, solvant, eam ipsam contributionem publicam exegerint et integre exactori reddiderint. Si vero aliqui istiusmodi duo viri vel de periurio convicti fuerint vel iniusta solutione publicum conventus generalis decretum fraudaverint, poena quattuordecem marcarum pecuniae communis illos cum omnibus eorum vicinis eandem villam incolentibus puniri volumus, quam ab illis loci illius capitaneus exigit sub poenis in negligentes

^c Dwa ostatnie wyrazy pominięte w MK₂. ^d Varszouiensi MK₁. ^e Słowo opuszczone w MK₂. ^f Zamiast: quaerebant. ^g W MK₂ pisarz dodał następnie i skreślił: unum grossum. ^h illa MK₁.

capitaneos statutis, et dimidium eiusdem poenae quattuordecim marcarum ipse capitaneus sibi vendicabit, reliquum vero dimidium in manus illius tribuet, qui id ei denuntiaverit. Quod si capitaneus minus iuste ac non integre de bonis suis contributionem praedictam solverit, poena quattuordecim marcarum per nos irremissibiliter punietur, si vero exactor nobis non denuntiaverit, si quid in bonis capitanei fuerit occultatum, simili quattuordecim marcarum poena illum mulctabimus.

Deferendi autem et accusandi potestatem ob iniustam alicuius villae praestationem vel iusti numeri laneorum occultationem liberam esse unicuique volumus ita videlicet, ut quisque possit exactori seu capitaneo loci deferre et denuntiare hoc, quod in aliqua villa fuerit suppressum vel occultatum.

Ne tamenⁱ cuiquam temere in quempiam calumniari liceat, decernimus et statuimus, ut is, qui falso aliquem detulerit et fuerit criminatus, solverit poenam talionis quattuordecim marcarum et resarcire sumptus factos cogatur hiis, qui iniuste ab illo in iudicium tracti et provocati fuerint.

Item burgrabii terrestres et exactores, qui quodam abusu publicas contributiones pro regni defensione decretas de bonis suis non solvebant, contribuere debent de omnibus bonis suis, quae habent, modo et ordine superscripto, quemadmodum alii solvent et contribuent.

Item advocati et sculteti, colonos seu kmethones non habentes, solvent de suis laneis possessionatis per octo grossos et similiter coloni seu kmethones ipsorum advocatorum de quolibet manso per octo grossos solvent ita, ut kmethones aliorum dominorum, ad ratas temporum superscriptas sub poenis supradictis. Ipsi vero advocati, colonos seu kmethones habentes, nihil solvent, sed eorum coloni seu kmethones.

Item tabernatores hereditarii, sive sint dominorum, sive advocatorum seu scultetorum, qui agros habent, ab illis contributionem solvent iuxta agrorum quantitatem, hoc est, de singulo laneo possessionato octo grossos, de medio laneo quattuor grossos, de una quarta lanei duos grossos, et reliquum de quantitate laneorum ad ratas superius designatas, exactionem vero ducillorum a singulis cocturis cerevisiae more consueto solveere nihilominus erunt astricti.

Alii tamen^j tabernatores manuales, qui propinant cerevisiam, ex civitatibus et oppidis quibuscumque regni nostri advectam, per quattuor grossos hoc anno solvent, duos videlicet pro prima rata et alios duos pro secunda rata, cum non coquunt ipsam cerevisiam, sed aliunde illam ad propinandum adducunt.

Item nobiles pauperes, colonos non habentes, solvent etiam de quolibet laneo suo sex grossos. Qui vero non habent laneos, sed praedia, computatis eiusmodi eorum praediis in laneos, solvent de quolibet laneo sex grossos, de medio laneo tres grossos, de quarta parte lanei unum cum medio grossos, et reliquum de quantitate laneorum; ubi autem duo, tres aut quattuor pauperes nobiles unum laneum agri colunt, solvent omnes simul de huiusmodi uno laneo sex grossos, alias quisque illorum solvet secundum quantitatem agri et portionis lanei, medietatem videlicet pro prima, et aliam medietatem pro secunda rata temporis praedicta sub poenis superscriptis.

Item villae vastatae et exustae per hostes, aut aliquo casu fortuito, et a suis dominis libertatem habentes, quarum videlicet incolae dominis suis nihil solvunt, si quidem hoc probaverint testimonio duorum hominum ex unaquaque villa medio corporali eorum iuramento, quod suis dominis nihil solvunt, liberi esse debent a solutione contributionis in praesenti conventu institutae, exactione *czopowe* excepta.

Item civitates et oppida tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium in toto regno nostro, incluso ducatu Masouiae, iam ipsi regno unito, unam integram exactionem civilem, quam *schos* vocant, iuxta antiquam taxam contribuent. Quae vero civitates seu oppida taxata non essent, ea taxari debent per exactores iuxta verum valorem bonorum mobilium et immobilium uniuscuiusque civis vel oppidani, et a qualibet marca usuali summae taxatae per duos grossos solvent; ea autem exactio civilis ita solvi et contribui debet, ut duae eius partes solvantur pro prima rata, reliqua vero tertia pars pro secunda rata sub poena dupli.

Item inquilini in civitatibus et villis existentes, qui neque exactionem civilem, neque de laneis

ⁱ autem *MK_I*, ^j autem *MK_I*.

solvunt, pro utraque rata praedicta semel duntaxat per quattuor grossos solvent, exceptis viduis, pauperibus et hortulanis ac familia artificum.

Item contributio cerevisiae, vini, medonis, malmatici, muscatelli, *czopowe* dicta, in iisdem civitatibus et oppidis ac etiam tabernis villarum tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, incipiendo a festo Annuntiationis Beatae Mariae proxime venturo [25 III 1529] ad integrum annum, a singulis cerevisiae coctoribus more solito solvi debet, ex quibuscumque braseis fuerit eadem cerevisia cocta, sive brasea ipsa sint civium et dominorum ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta.

Item etiam de cerevisia externa, quae de externis regionibus et ducatibus, nobis et regno nostro non subiectis, ad regnum nostrum ducitur, ut Swidnicensi, Thesschnensi, Bernouiensi et alia quacumque externa de terris, regno nostro non subiectis, contributio ipsa *czopowe* solvatur secundum antiquam constitutionem.

Item molendina omnium villarum tam nostratum quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, quae *poysrzebne* vocantur, manuales seu anniversarios molendinatores habentia, ex singulis rotis quattuor grossos semel duntaxat hoc anno solvent.

Hereditarii vero molendinatores dictarum villarum et *folusche* ex singulis rotis molendinorum suorum, quae *walne* dicuntur, octo grossos persolvent, ad ratas temporum suprascriptas, videlicet grossos quattuor pro prima, et alios quattuor pro secunda rata sub poena dupli.

Item molendina brasealia et hereditaria aquatica et equestris, in omnibus civitatibus et oppidis more veteri taxata, unam contributionem a qualibet marca taxae duos grossos persolvent, unam videlicet eius medietatem pro prima et aliam pro secunda rata praedicta sub poena dupli.

Minerariae vero officinae, alias ferrum facientes et serrae hereditariae ex singulis rotis octo grossos.

Annales vero officinae minerariae et similiter annales serrae, hoc est locatae seu conductitiae, a qualibet rota quattuor grossos solvent ad ratas temporum praedictas.

Item molendina ventilia hereditaria octo grossos. Illa vero molendina ventilia, quae anniversarios molendinatores habent, quattuor grossos solvent ad ratas temporum supradictas.

Item prothopopones alias *namyestnyczy* per duos florenos, sacerdotes vero Rutheni, qui popones vocantur, ex singulis ecclesiis et synagogis per mediam sexagenam grossorum medietatem, videlicet pro prima, et aliam medietatem pro secunda rata praedicta persolvent.

Item Valachi ex singulis laneis integris, si illos habent, vel areis, quae *dworzisza* dicuntur, octo grossos solvent. Et qui agros non habent, a singulo centenario ovium similiter octo grossos persolvent, quattuor grossos pro prima et reliquos quattuor pro secunda rata superius expressa.

Volumus autem et ex decreto ipsius conventus generalis Warsschouiensis decernimus, quod poenae praedictae, tam videlicet dupli pro solutionis negligentia ad ratas temporum suprascriptas, quam etiam quattuordecem marcarum pro occultatione seu renitentia^k agri possessi vel cuiuspiam alterius rei, de qua contributio aliqua ex praedictis solvi debuit, aequaliter omnes suprascriptos sine ullo favore vel respectu astringat.

Ut autem supradicta ordinatio in exigendis eisdem contributionibus facta debitae executioni demandetur, generosum^l ad eas colligendas in palatinatu^m et districtibus eius in exactorem designavimus et constituimus praesentibus litteris. Mandamusque, ut in manus illius designato tempore easdem contributiones persolvere curetis. Vobis vero capitaneis, quorum interest, mandamus, ut praedictas contributiones in conventu generali Warsschouiensi decretas publicari et in foris civitatum et oppidorum ac aliis locis publicis proclamari et praefato exactori nostro, pro tempore et termino superius expresso, sub poenis ad hoc constitutis, absque cuiusvis morae et dilationis interventu, de iisdem contributionibus per eos, ad quos pertinet, responderi faciat et vos ipsi respondeatis. Negligentes vero in solvendo et contumaces modo infrascripto ad solvendum easdem contributiones compellatis, pro officio nostroⁿ et gratia nostra facturi. Quicumque enim intra tempus superius expressum contributiones ipsas non solverit, et vobis aut alicui vestrum per exactorem nostrum delatus fuerit, vos id domino seu tenentario ac possessori

^k reticentia MK₁. ^l W obydwu tekstach MK pozostawiono puste okienko. ^m W MK₁ pozostawiono po tym wyrazie okienko.

ⁿ vestro MK₁.

bonorum, de quibus non sunt solutae ipsae contributiones, declaretis admoneatisque illum, aut^o eius procuratorem seu officialem per vestras litteras, quas per ministeria^p ad eum mittere, aut in eius absentia in bonis illius, de quibus non fuerint solutae publicae contributiones, poni illas facere debetis, ut easdem contributiones, alias poenam dupli, infra octo dies a die praesentationis et positionis litterarum vestrarum computandos extradat seu extradi faciat. Quod si id non fecerit, vos capitanei possessionem eorundem bonorum arripiatis^q, in illaque vos auctoritate nostra intromittatis et teneatis ea tam diu, donec poena dupli, hoc est principalis summa contributionis debita et non soluta et tantundem ratione poenae, exsolvatur.

Quod si quispiam dominus tenutarius et possessor vobis intromissionem in bona sua prohibuerit seque vobis opposuerit, aut vos postea de possessionem eorundem bonorum eiecerit, talis citatus per vos ad ius castrense banniri et proscribi de regno debet, tanquam rebellis et publicis decretis se opponens.

Si vero exactor noster detulerit vobis aliquem negligentem in solvendis publicis contributionibus et ille per vos monitus ostenderit quietantiam eiusdem exactoris, a poena dupli se illa tuendo, exactor ipse solvere eandem poenam dupli teneatur, quam vos capitanei ab eo omnino exigatis et exigere curetis, pro gratia nostra.

Quod si exactor ipse in capitaneatu vestro possessionatus non fuerit, illi^r capitaneo illum deferatis, sub cuius capitaneatu bona et possessiones suas habuerit, qui ab illo poenam dupli exigere teneatur.

Ut autem via calumniis praecludatur, volumus et mandamus, ut exactor noster nomina eorum, qui contributiones ipsas ad ratas temporum supradictas solvere neglexerint, in scedula diligenter conscribat, in qua annotet diem, qua illam scripserit et ad capitaneum perferendam dederit, et illam vobis sigillo suo obsignatam et manu sua propria vel sui notarii subscriptam mittere teneatur.

Exactor autem supranominatus omnes et singulas contributiones in hoc conventu generali decretas modo et ordine suprascripto fideliter exiget, et collectas una cum dispensatore generoso^s dispensabit ac militibus mercenariis iuxta praescriptum et mandatum palatini aut in illius a palatinatu absentia castellani principalis distribuet, ac easdem contributiones in nullum alium usum, quam in defensionem regni et publicas necessitates erogabit. Pecunia vero huiusmodi hominibus et militibus de palatinatu^t duntaxat distribui debebit.

Idem exactor habebit mercedem seu salarium pro labore et expensis suis marcas^u, dispensator vero^v marcas pecuniarum, eaque mercede uterque eorum contentus debet^w, nec quicquam^x ultra illam de ipsis publicis contributionibus recipere sibi audeant.

Facere autem rationem sufficientem idem exactor cum dispensatore in conventu particulari, qui praecedet generalem regni conventum futurum, debet de pecuniis contributionum a se perceptarum et expositarum coram palatino, castellano^y, dignitariis, officialibus ac communi nobilitate palatinatus sui, facientque eandem rationem distincte, demonstrando et docendo per quietantias singillatim, quantum ex contributionibus laneorum, quantum ex civili exactione, quae *schoss* dicitur, quantum ex *czopowe*, quantum ex tabernis, quantum ex molendinis, et quantum ex nobilibus pauperibus, advocatis seu scultetis, qui colonos non habent, perceperint et distribuerint, ut sciri possit in futuro regni conventu, ad quem ratio et calculus omnium exactorum per palatinos terrarum aut aliquem ex castellanis referri et comportari debet, quae summa pecuniarum ex unaquaque contributionum praedictarum colligatur.

Datum in civitate nostra Wilnensi feria sexta proxima ante dominicam Palmarum^z anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono [19 III 1529], regni nostri^{aa} anno vigesimo tertio. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

^o autem MK₁. ^p ministerialem MK₁. ^q accipiat MK₁. ^r W MK₂ słowo to zostało powtórzone.

^s W obydwu tekstach MK pozostawiono puste okienka. ^t W obydwu tekstach MK pozostawiono puste okienka.

^u W obydwu tekstach MK pozostawiono puste okienka. ^v W obydwu tekstach MK pozostawiono puste okienka.

^w esse debet MK₁. ^x quidquam MK₁. ^y castellanis MK₁. ^z W MK₂ opuszczono słowa: sexta i Palmarum, zostawiając puste okienka.

^{aa} vero nostri MK₁.